



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**VRBIS|| HIEROSOLIMÆ|| QVEMADMODVM EA CHRISTI||
tempore floruit, & suburbanorum eius brevis.||
descriptio.||**

**Adrichem, Christiaan van
Coloniae Agrippinae, 1585**

VD16 A 298

Præfatio. Christiano lectori Christianus Adrichom. S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64394)

P R Æ F A T I O.

Christiano lectori Christianus
Adrichom. S.



V M historiae veritas fundamentum sit & fidei, & intelligentiae spiritualis, Christiane lector, rerum autem gestarum historia absque locorum cognitione caeca sit, eorum vero cognitio multum lucis tum historiae veritati, tum spirituali eius interpretationi praebeat: idcirco hoc in opere duo summa diligentia mihi observanda existimaui. Primum, ut Hierosolymam, urbem omnium clarissimam, totoque Orbe celeberrimam, cuius frequentissima in sacris & profanis historiis fit mentio, veram ac vivam imaginem, sicut Christi aetate floruit, perfectamque templi, fama super aethera noti, ac aeterna memoria digni, for-

Hieron.

tom. 3.

epist. 27.

ad Dard.

Operis huius ratio.

B
mam,

nam, ex sacrosancta Scriptura, & classicis scriptoribus, atq; vetusta fidelium traditione, in tabula Apelleo penicillo ad vnguem deliniarem: ac singulorum locorum nomina, origines, situs, formas, & insigniores quasque eorum historias Laconica breuitate describerem. Secundo, vt passionis Christi loca, quæ religiosè à maioribus obseruata, etiam nunc à fidelibus magna pietate honorantur, suoque loco collocarem, & quid in vnoquoque perpessus sit, tanquam iam ante oculos gereretur, viuide depingerem: depicta verò, dilucida breuitate explicarem. Hinc enim, quæ quantaque nostri causa passus sit, & clariùs intelligetur, & commodiùs memoria retinebitur. Coeterum erunt fortasse qui hoc nostrum studiù minus probabunt, quòd pleraque ex maiorù traditione habeamus; quibus respondeo, etiã hîc

hîc locum habere posse insignē
illam S. Hieronymi Ecclesiæ
Doct̄oris sententiam, omnium
Catholicorum ore probatam:

*Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fi-
dei non officiant, ita obseruandas, vt à maio-
ribus traditæ sunt.*

Hieron. 10.
1. Epist. 28.
ad Lucini-
um.

Vt taceam interim nimis teme-
rariū, imò prorsus impium esse,
id nunc tandem velle negare,
quòd piè quod semper, quod ab
omnibus est receptum. Quicun-
que ergò Christi sanguine ablu-
ti, Christianum ab eo nomen ge-
rimus, atque si nomini fides re-
spondeat, & vita à veritate non
dissentiat, Christi meritis & gra-
tia saluandi sumtis, credamus
quod incorrupta & veneranda
credidit antiquitas, nullatenus
recedamus ab his, quæ Maiores
nostros sine superstitione cele-
brasse, totius Orbis consensu ad
nos vsque deuolutum est. Gra-
taq; animi pietate sæpe ea reco-
lamus loca, quæ passionis Chri-

*Passionis
Christi Epi-
toms.*

sti memoriam salubriter nobis
ingerunt: &, ad quæ hæc tabula
nos manu ducit, fidei mentisq;
nostræ oculis eundem Dei filiū
quasi antè nos præsentem inspi-
ciamus penitusque intueamur
maximo ipsum salutis nostræ
urgente amore, Paschali coena
in Cœnaculo Sion peracta, in
hortū Oliueti progressum, præ
imminentium afflictionum an-
gustia orare ac sanguinē sudare.
Mox à scelerato Iuda tradi, à Iu-
dæis, vt agnus à lupis, inter cla-
morum armorumque strepitus
truculenter capi, vinciri, trudi
& ad domum Annæ duci. Ibi a
lapa cedi. Inde ad Caiphę pala-
tium trahi, inibi falsò accusari,
dānari, conspui, velari, palmis
pugnisque percuti, ac varijs mo-
dis tota nocte illudi & affligi.
Manè per vrbis medium ad Pi-
lati edes rapi. Hinc ad Herodis
palatium abduci iterumque ac-
cusari, ab eo sperni, illudi, ac
morio.

morionis instar cādida veste indutum, per aliam ciuitatis viam ad Pilatum reduci. Ibi denuò multorum criminum accusari, nudari, dirè flagellari, purpura indui, spinis coronari, variè derideri, conspui, vellicari, alapis & arundine percuti: sicque tractatum populo ostēdi, ac morti adiudicari. Deinde graui cruce oneratū, acerbis & cruētis gressibus populo omni spectante, per magnam ciuitatis partem, perque portam iudiciariam, & extra urbem per arduam & petrosam viam, furētis modum violentia trahi, tundi, vrgeri, & ad Caluarię montem perduci. Ibi rursus nudari, lassum felle potari, ipsoque meridie cruci adfigi, affixum in altum erigi. In cruce autem per tres horas suspensum conuicijs modisque varijs irrideri, sitientem aceto potari, denique eum, qui vna sanguinis gutta Mundum saluare poterat, per

Num. 21. c.

Ioan. 3. b.

quinque vulnerum riuos suam
toto cū sanguine vitā nobis ef-
fūdere. In huius sanè rei figurā,
olim serpentem enecum à Moy-
se in deserto erectum, aspicere
debebant ij, qui sani & salui esse
desiderabant. Ad hoc etiam
spectaculum Pater coelestis fi-
deles quasque animas euocans:

Cant. 3. d.

*Egredimini, inquit. filiae Sion, & videte
Regem Salomonem: imò plusquam
Salomonem, in diademate, quo co-
ronauit illum mater sua: natura qui-
dem illa mater, corde autem
sæua eius nouerca, Synagô-
ga. Similiter & Christus in cru-
ce pendens clamat: O vos omnes*

*Thren. 1. d. qui transitis per viam, attendite, & videte sicut
est dolor sicut dolor meus.*

Nec solūm ad considerandum
& meditandum hæc, sed & ad
imitandum Deus in sacra Scri-
ptura spirituali sensu interpre-
tata nos hortatur, cū ait:

Inspice, & fac omnia secundum exemplar,

Exod. 25. d. quod tibi in monte monstratum est.

*Hebr. 8. b. Omnia siquidem vitæ præcepta,
quæ*

quæ saluator noster toto prædicationis suæ tempore tum verbo tum exemplo nos docuit: ea vno passionis die in seipso expressit. Quare si Christum non solum verbo, sed etiam opere imitari voluerimus ex viua ipsius in monte Caluarię crucifixi effigie, veluti ex aureo libro, qui nobili trium electissimarum linguarum titulo insignitus, & lanceę, clauorum, spinarum, ac flagrorum calamis in purissima Agni immaculati membrana, purpureo eiusdem sanguine conscriptus est, docti pariter & illiterati facili compendio perfectam Theologiam, saluberrima Medicinę remedia, summam Iuris ac iustitię peritiam, Artiũ liberalium scientiã, Veræ humilitatis, obediētię, pietatis, charitatis, patiētię, omnium denique virtutum perfectissima queq; addiscere, & ad Christi, amorem atque imitationem inflammari possumus.

*Liber 345-
απετὸς.*

*Contempla-
tio Consi-
xi.*

Ioan. 19. e.

*Amb. in Lu-
ca. cap. 23.*

Ioan. 19. f.

Luc. 23. f.

*Hieron. 10.
1. epist. 13.
ad Paulin.*

Sic B. Dei genetrix stans iux-
ta dominicam crucē, non solū
corpore, sed & corde per fidem
(quæ in ea non vacillauit) filij
sui vulnera pijs spectabat oculis
eaque conferens in corde suo,
adeò confortata est, vt iam, quē
admodum Ambrosius ait, pro
humani generis salute etiam
mori esset parata. Sic Ioannes
Crucifixi latus lancea aperiri,
atque inde manare sangui-
nem & aquam fixis oculis & vi-
dit, & testimonium eius per-
hibuit: qua quidem considera-
tione tantum profecit, vt hinc
tandem absolutissimus Theolo-
gus, Sanctissimæque Trinitatis
aquilinus Contemplator euase-
rit. Sic latro cū crucifixum
videret & audiret, mox ad Chri-
stum conuersus, ipsumque cōfi-
tens, homicidij poenam (inquit
ille sacri nominis Heros) fecit
martyrium, & crucem mutauit
paradiso. Sic & Cēturio ex hoc
specta-

spectaculo tantum fidei accepit
 robur, vt sub cruce inclytus fa- *Marc. 15. d.*
 ctus sit Christi Confessor, & po-
 stea etiam Martyrio, vt ait Chry *Chrysoft. in*
 softomus, sit coronatus. Quin *Matt. 6. 27.*
 & Thomas crucifixi vulnera
 conspiciendo & contrectando *Ioann. 20. g.*
 ita fide illuminatus est, vt Chri-
 stum & Dominū & Deum suū
 clarè profiteretur. Hæc cum ita
 se habeāt, & amor vt magnes at-
 trahit ferrum, ita amorem alli-
 ciat, quis est quæso, quem tam
 vehemens Christi amor, imò æ-
 dor, ac flamma, non afficiat, in-
 flammet atque accendat? Quis
 cūm morienti Christo omnes
 compatiantur creaturæ, Sol ob-
 scuretur, velum templi scinda-
 tur, terra moueatur, petræ rum-
 pantur, sepulcra aperiantur,
 mortui resurgant; Quis dico nō
 admirabitur, quis non obstupe-
 scet solos duros & induratos
 Adæ filios, quorum causa mo-
 riebatur; hoc tanto beneficio
 non moueri? *Ada.*

Ada.

Adamas durissimus ille lapis,
 hirci sanguine; ferrum ignis ca-
 lore emollitur; & Christiana
 pectora plusquam adamantina
 & ferrea, Christi nec sanguine
 nec igne emolliuntur? at Dei fi-
 lium rursus sibi metipsis cruci
 figunt, ostentui habent, concul-
 cant, & sanguinem testamenti
 pollutum ducunt?

*Hebr. 6. b.
 10. c.*

Ecquid dignius obsecro, quid
 iustius, quid equius ac salutari⁹
 esse nobis posset, quam ut sic
 amantem redamaremus, atque
 amatum imitemur? Nam si
 quid hac in re difficile, si quid
 graue videtur, illud amor, sua-
 ue iugum Domini, leue ac faci-
 le reddit: leuis est enim labor
 omnes amanti: ac iuxta celebrē
 illam S. Gregorij sententiam,

*Gregor. in Nihil adeò graue est, quod non equani-
 quadam e- miter toleretur, si Christi passio ad memo-
 pistola. riam reducat. Parua enim tole-
 ramus, si recordemur quàm du-*

ra

ra verba, duriora verbera, durissima supplicia pro nobis ille passus sit, qui in capite tulit coronam, in oculis velamen, in auribus conuicia, in ore fel & acetum, in facie sputa & a-lapas, in genis vellicationem, in humeris crucem, in corde mœrorem, in visceribus concussionem, in corpore flagella, in membris extensionem, in manibus & pedibus perfossionem, denique à capite ad pedum plantas vsque innumera sustinuit vulnera & dolores.

Esai. 1. b.

Vnde sicut quondam amaræ aque Mara, iniecto à Moyse ligno in dulcedinem versæ sunt: ita omnis nostra tribulatio, si Christi crux adhibeatur, dulcescet, eiusque fel in mel conuertetur. Harum enim saluatoris nostri afflictionum meditatione fides illuminatur, spes roboratur, charitas inflammatur, virtutesque omnes augentur.

Exod. 15. d.

Quam,

*Augustin. in
lib. de virgi-
nitate.*

Quamobrem non minus verè,
quàm piè ignitis verbis ad idi-
psum nos prouocans Ecclesiæ
lumen D. Augustinus, *Inspice,*
inquit, *vulnera pendentis, sanguinem*
morientis, precium redimentis, cicatrices re-
surgentis: caput habet inclinatum ad osculan-
dum, cor apertum ad diligendum, brachia ex-
tensa ad amplexandum, totum corpus expo-
situm ad redimendum. Hac quanta sint cogi-
tate, hæc in statera vestri cordis appendite, vt
totus vobis figatur in corde, qui totus pro no-
bis fixus fuit in cruce. hucusque Au-
gustinus. Vnde non semel hæc
meditatum esse sat sit, iuuet vsq;
recolere: decies, imò milies re-
petita magis ac magis iuuabunt
In cuius salutari passionis con-
templatione etiamsi multum
proficiamus, nunquam ad perfe-
ctam eius cognitionem perue-
niemus, sed semper nobis supe-
rerit, quod quæramus: cuius ple-
na cognitio cælesti patriæ reser-
uatur. Interim in his die nocte-
que cōtemplari, in his ociari ac
negociari, in his gloriari ac to-
tos

PRÆFATIO. 29

tos esse: his inuigilare, his indor-
miré, his immori, Christianissi-
mum ac maximè salutare est.
Vale.

Loci aliquot sacræ Scripturæ
in laudem Ierusalem.

Threnorum II. c.

*Hæcine est vrbs perfecti decóris, gau-
dium vniuersæ terra?*

Ezechielis. V. b.

*Hæc dicit Dominus Deus: Ista est I E-
R V S A L E M, in medio gentium posui eã,
& in circuitu eius terras.*

II. Paralippomen. VII. c.

*Elegi locum istum mihi in domum sacri-
ficij.*

Psalmo. LXXIII. c.

*Deus autem Rex noster ante sacula, ope-
ratus est salutem in medio terra.*

Isai.

Isai. II. a. Mich. IIII. a.

*De Syon exhibit lex, & verbum Domini
de IERUSALEM.*


Apocalyps. XXI. a.

*Vidi sanctam ciuitatem IERUSALEM
nouam, descendentem de caelo, à Deo para-
tam, sicut sponsam ornatam viro suo.*

Tobiae XIII. b.

*IERUSALEM ciuitas Dei, luce splen-
dida fulgebis, & oēs fines terra adorabunt te
Nationes ex longinquo ad te veniēt: & mu-
nera deferentes, adorabūt in te Dominum, &
terram tuam in sanctificationem habebunt.
Nomen enim magnum inuocabunt in te.
Maledicti erunt qui contempserint te, &
condēnati erunt omnes qui blasphemauerint
te Benedicti q̄, erunt, qui edificauerint te.
Tu autem letaberis in filijs tuis, quoniam om-
nes benedicentur, & congregabuntur ad Do-
minum. Beati omnes qui diligunt te, & qui
gaudent super pace tua, & qui videbunt cla-
ritatem IERUSALEM. Porta
IERV.*

IERUSALEM ex saphiro & smaragdo edificabuntur: & ex lapide pretioso omnes circuitus murorum eius Ex lapide candido & mundo omnes plateae eius sternentur: & per vicos eius ALLELUIA cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, vt sit regnum eius in saecula saeculorum super eam. Amen.



IN
THE
YEAR
OF
OUR
LORD
MDCCLXXII
THE
FIRST
PART

OF
THE
HISTORY
OF
THE
EMPEROR
AND
EMPERESS
CATHERINE
II

BY
JAMES
BURTON

LONDON
PRINTED
BY
RICHARD
BENTLEY

IN
THE
STRAND

1772

THE
FIRST
PART

OF
THE
HISTORY
OF
THE
EMPEROR
AND
EMPERESS
CATHERINE
II